



T. q. 258, 1.

DISPUTATIO THEOLOGICA  
DE

POENITENTIA  
ET ABSOLUTIONE  
SACERDOTALI

*Q V A M*

D. O. M. A.

PRÆSIDE

GERHARDO TITIO

SS. THEOL. D. ET PROF.  
ORDINARIO

IN ILLVSTRI ACAD. JULIA

Ad diem Novembr.

*Publico examini exponit*

JOHANNES Koch AULICENSES

AUTOR.

¶(oo)¶

HELMESTADII,

Typis HENNINGI MULLERI,

Anno CIC ID C LXIII.



АВТОРСКОГО УДОСТОЕНІЯ

ДЛЯ МЕДІАНОФ  
В САНКТ-ПЕТЕРБУРГІ

А. М. О. Д.

СИГН. ОДЯГАННІ

ДОКУМЕНТЪ ОДѢЯГАННІ

СІЛАНІО

МІСІЯ ОДѢГАННІ

Імператорські

Імператорські

Імператорські

Імператорські

Імператорські

Імператорські

Імператорські

Імператорські



## THESIS I.

 Vemadmodum tota sacra Scriptura, ceu vivus fons ac perennis scaturigo, mirâ Dei bonitate & misericordiâ erga lapsum genus humanum passim abundat; ita toto illius bonitatis flumine quasi inundare videtur, ubi de pœnitentiâ lapsorum post baptismum, iisque paratâ veniâ & remissione peccatorum concionatur. Cum enim Deo Opt. Max. fragilitas humanæ naturæ, & vehementes & assiduæ carnis, mundi, ac Diaboli tentationes, quibus homines obnoxij sunt, probè fuerint cognitæ, nec ignotum porrò ipsi fuerit, quâm facile hinc illud consecuturum esset, ut, qut hodiè staret, cras miserabili ruinâ è statu gratiæ detrudi, atque in iram ipsius relabi posset; Noluit Pater misericordiarum illis, qui in hoc spirituali certamine spiritualibus hostibus, sese inde sinenter infestantibus aliquando succumberent, & in peccata contrâ conscientiam prolaberentur, omnem statim veniam esse præclusam, sed redditum potius patere voluit in gratiam, & idem, qui stantibus præmia promisit, jacentibus remedia clementissimè est largitus, Pœnitentiam nimirum & fidem, Luc. xxiv, 47. De quibus remediis nunc nonnulla tradere institui, si Deus ac Dominus noster ea, quæ de hac re cogitanti suggestit, etiam scribenti mihi non deneget, ut mea faciam verba S. Augustini, Prologo libror. de Doctr. Christ.

II. Primò indicandum videtur, vocabulum pœnitentia, in genere significare quamvis animi mutationem, ex displi-

centiâ alicujus facti ortam. Græcis Μετέρων dicitur, quæ vox significantior est, quam latina, & denotat cogitationem, quæ suscipitur post malum patratum, illud considerans, erratum animadvertisens & improbans. Huic respondet latinum *resipiscientia*, à resipisco, quod est ad sanam mentem redeo; mentem & consilium, agnito errore in melius muto. Affinis vox est Μεταμέλεια, & verbum μεταμέλεσθαι, quod habetur Matth. xxii, 29. cap. xxvii, 3. Germani dicunt Busz/voce non dissimili Hebrææ illi וְזָבֵחַ, erubuit. Eleganter Lactantius libr. vi. divin. Institut. c. xxiv. Is, quem facti sui pœnitent, errorem suum pristinum intelligit. Ideoque Græci melius & significantius μετάνοια dicunt, quam nos latine possumus resipiscientiam dicere. Resipiscit enim & mentem ab insaniâ quasi recipit, quem errati piget, castigatque se ipsum dementia, & confirmat animum suum ad rectius vivendum, tum illud ipsum maxime cavet, ne rursus in eosdem laqueos induatur. Pœnitentia igitur, vi vocum synonymarum est animi anxietas, solicitude & mutatio, orta ex displicantia alicujus facti. In scripturâ verò sacrâ, & apud Ecclesiasticos scriptores sumi solet in specie pro hominis peccatoris pœnitentiâ, seu, pro pœnitentiâ salutari, quam conversionem quoque (vocabulum illud intransitivè capiendo) appellamus. Estque hæc pœnitentia mutatio, quâ agnitis peccatis & ira Dei adversus illa, seriò dolet peccator se ea admisisse, ac fide in Christum se erigit, cum proposito deinceps à peccatis cavendi & vitam in melius mutandi. B. Calixtus de Præcip. Christ. Relig. capp. Disp. iix. de Pœnit. §. 14. Pœnitentia, inquit, est hominis peccatoris ad Deum conversio, quâ peccata ex doctrina legis agnoscit, fatetur: detestatur, deque ira & offensa Dei angitar: erigitur autem vicissim voce Evangelij, Christumque & promissiones fide apprehendit. Quæ defi-

definitio præcisè illa , quæ pœnitentiæ salutari intrinsecæ sunt , complectitur.

III. Partes igitur pœnitentiæ essentiales duas constituimus , *Contritionem & Fidem*. Alij mortificationem & vivificationem eas nominant , etsi , ut nobis videtur , non satis aptè. Cùm mortificatio statui conversorum adscribatur à Scriptura , ut apparebit inspecturo hæc loca , Rom. 1ix. 13. Coloss. III , 1. 2. 5. sitque fructus pœnitentiæ. Exprimuntur partes pœnitentiæ à nobis nominatæ , manifestè à Servatore nostro , Marc. I. vers. 15. μετανοήτε καὶ πιστεύτε εἰς τὸ ἐυαγγέλιον . Vtriusque pulchra figura est in Samaritano , qui in vulnera infundit vinum & oleum. Nam & Lex & Evangelium suam hīc operam confert. Contritio quidem est ex Lege ; Fides ex Evangelio. In ipso etiam Paradiso primos Parentes voce ipsius legis perterrefactos & convictos , editâ de semine mulieris promissione Deus consolatur , erigit , & in gratiam recipit. Sic David objurgatur à Nathan , & perterrefactus inquit : Peccavi Domino. Ea est contritio. Postea audit absolutionem : Dominus sustulit peccatum tuum , non morieris. Hæc vox erigit Davidem , & fide sustentat , justificat & vivificat eum — Luc. VII. Mulier peccatrix venit ad Christum lachrymans. Per has lachrymas agnoscitur Contritio. Postea audit absolutionem : Remittuntur tibi peccata. Fides tua te salvam fecit , vade in pace. Hæc est altera pars pœnitentiæ ; fides , quæ erigit & consolatur eam. Ex his omnibus appetet , nos eas pœnitentiæ partes ponere , quæ propriae sunt in conversione , seu regeneratione & remissione peccati. Apolog. Aug. Conf. de Pœnit. §. Quanquam quid &c.

IV. Definitur *Contritio* , quod sit verus & serius dolor de commissis peccatis. Contritionis tamen vocabulo non utuntur Apostoli , sed pro eo adhibent vocem Pœni-

ſentiaſ ſtrictè ſumptam, & prout à Fide diſtinguitur. Paulus  
II. Cor. vii. verſ. 10. vocat eam λύπην ρατερ θεον, it. ueritatem  
eis tēr̄ θεον, Actoſ. xxvi. verſ. 18. 20. Dicitur autem contri-  
tio metaphoricè à conterendo, quod animum conterat  
& fauicet; in quo ſenſu frequens ejus uſus eſt in V.T. Psal.  
L1, 19. Cor contritum & humiliatum, Deus, non despicies, Psal.  
CXLVII, 3. Deus sanat contritos corde. Confer. Ef. LVII, 15.  
Cap. LXI, 1. 2.

V. Includit Contritio agnitionem peccati & iræ  
Dei aduersus peccata. Quarum utraque excitatur à Lege,  
cujus accurata conſideratio incutit conſcientia terrores,  
ut incipiat iram Dei timere, atque ita peccatum detestari.  
Et hoc eſt primum requiſitum in ſalutari pœnitentiā ac  
converſione, idque non quidem promerens remiſſionem  
peccatorum, ſed quia hic ordo à Deo eſt iſtitutus, ut ju-  
xta Bernardi dictum, Oleum misericordiæ non infundat Deus  
niſi in vas contritum. Si termino ſcholæ placebit uti, con-  
tritio recte vocabitur conditio fine qua non ipſius remiſſionis  
peccatorum. Nihil enim in ea oſtendi potest, quod ad  
juſtificationem habeat rationem cauſæ, & tamen ſine eâ  
non contingit juſtificatio. Lex vero eſt paedagogus ad Chri-  
ſtum, Gal. III. verſ. 24. Quia enim Lex pronunciat male-  
dictum omnem, quisquis non permanerit in omnibus, minimis,  
maximis, que ſunt ſcripta in ſeſe, Galat. III, 10. & verò ho-  
mini conſcientia facile dictat, ſi Deus velit ex rigore juſti-  
tiaſ ſecum agere, ſe ipſi non poſſe ad unum e millibus re-  
ſpondere; Hinc Lex indirecte hominem contritum & per-  
terrefactum ablegat ad Evangelium, quod nobis monſtrat  
obœdientiam & ſatisfactionem Christi mediatoris, pro no-  
bis hominibus præſtitam, & propter hoc meritum Chri-  
ſti offert gratiam & remiſſionem peccatorum. A nobis  
vero

vero hoc requirit, ut illud beneficium Christi fide humili-  
ter apprehendamus & nobis applicemus.

VI. Fides igitur, quam alteram pœnitentiæ partem  
diximus, contritionem debet excipere, si salutaris quidem  
debeat esse pœnitentia, & non abire in desperationem. Et  
intelligitur per fidem non habitus, sed ipse actus fidei, quo  
credit contritus Christum se quoque pro sese tradidisse,  
**Galat. III, 20.** & Deum etiam sibi, in filium suum credenti,  
remissionem peccatorum esse facturum, **Actor. X, 43.**

VII. Hanc fidem Pontificij à Pœnitentiâ plane ex-  
cludunt & proscribunt. Ita enim Bellarminus lib. I. de  
Pœnit. cap. xix. *Fides illa specialis, quā quilibet fidelis credit*  
*sibi remissa esse ( hīc & nunc remissum iri ) peccata, non modo*  
*non est pœnitentiæ pars, sed neque ad eam ullo modo requiritur.*  
Argumentum, quo suam sententiam probare conantur,  
hunc ferè in modum solent proponere : *Quodcumque*  
*distinguitur à pœnitentia, ut quid diversum, illud non est pars pœ-*  
*nitentiæ. Atqui Fides ita distinguitur. Ergo. Minoris pro-*  
*bationem petunt è verbis Marc. I, 15. Pœnitentiam agite &*  
*credite Evangelio. Verum respondemus ad Minoris pro-*  
*bationem, particulam illam ET, non semper esse adver-*  
*sativam aut distinctivam, sed aliquando etiam exegeticam*  
*& explicativam. Ita sumitur Actor. xxvi, 20. Annuncia-*  
*bat gentibus, ut pœnitentiam agerent, ET converterentur ad*  
*Deum. Non necessum itaque est, si alias constet, fidem*  
*in Christum esse partem pœnitentiæ, propter ea loca, in*  
*quibus fides à pœnitentiâ distinguitur, hoc ipsum per-*  
*negare.*

VIII. Dicunt alias Pontificij, fidem esse fundamen-  
tum Pœnitentiæ; non vero ejus partem, ut docent nostra-  
tes Theologi. Verum de nominibus fortassis non esset  
multa

multum contendendum, si utrinque consensio esset, fidem, prout nos eam paulò ante descripsimus, in pœnitentia esse necessariam ad consequendam remissionem peccatorum, neque ideo turbanda esset Ecclesia, si alius fidem fundatum, aliis partem pœnitentiæ appellaret. Sed latet anguis in herba. Quando enim illi dicunt, fidem esse fundamentum pœnitentiæ, intelligunt per fidem talem persuationem, si actiones illas pœnitentiæ, à Pontificiis præscriptas, quis suscepit, & præstiterit, quod illis actionibus impetrat veniam peccatorum, & reconcilietur Deo. Hac enim cum persuasione, dicunt suscipiendas esse actiones pœnitentiæ, & hoc est, quod dicunt, fidem esse fundamentum pœnitentiæ.

IX. Quando ergo talem historicam fidem pœnitentiæ volunt esse fundamentum, veram autem fidem iustificantem, à nobis requisitam conviciis lacerant, & à salutari pœnitentia proscribunt, quin & eos sub anathemate damnant, qui statuunt fidem conceptam ex Evangelio, quâ quis credit, sibi quoque per Christum hîc & nunc peccata remissum iri, necessariam partem esse pœnitentiæ, ad consequendam remissionem peccatorum; quid aliud faciunt, quâm quod nucleus consolationis è pœnitentia tollunt? & ipsam vocem Evangelij propriam, sicut à Prophetis, Christo & Apostolis tradita est, impiè damnant? Vbiique enim & in omnibus pœnitentiæ exemplis fidem, & illam quidem, quæ per nomen Christi remissionem peccatorum accipit, conjunctam invenies. Quid ergo reliquum erit Evangelio, si tollas inde Christum, fidem in Christum, & remissionem peccatorum, quæ fide per Christum accipitur?

X. Fidem vero qualem diximus, ad pœnitentiam requiri, ejusdemque alteram partem constituere, dudum luculen.

luculenter probavit Apologia Aug. Conf. de Pœnitentia,  
§. Secundò, fateri &c. Sic loquitur ibi Apologia : Secundo  
fateri adversarios existimamus, remissionem peccatorum pœni-  
tentiae seu partem, seu finem, seu, ut ipsorum more loquamur, ter-  
minum esse ad quem. Ergo id, quo accipitur remissio peccato-  
rum, rectè additur partibus pœnitentiae. Certissimum est autem,  
etiam si omnes portæ inferorum reclament, remissionem peccato-  
rum non posse accipi, nisi solâ fide, quæ credit peccata remitti  
propter Christum, juxta illud Rom. III. Quem proposuit Deus  
propitiatorem per fidem in sanguine ipsius. Item Rom. v Per  
quem accessum habemus fide in gratiam &c. Nam conscientia  
territa non potest opponere iræ Dei opera nostra, aut dilectionem  
nostram, sed ita demum fit pacata, cum apprehendit mediatorem  
Christum — Petrus ait in Actis cap. X. Huic omnes Prophetæ  
testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per no-  
men ejus, omnes, qui credunt in eum. — Nos igitur hanc Petri  
vocem non dubitamus opponere quamlibet multis legionibus Sen-  
tentiriorum, quæ allegat consensum Prophetarum &c.

XI. Quia vero contritionem consequitur dete-  
statio & propositum fugiendi peccata imposterum, (ne-  
mo enim voluntatem habebit rursus committendi, de-  
quo nunc angatur & doleat, si serio doleat) cùm etiam  
fidei illa natura sit, ut Apostolo teste per charitatem sit  
ἐπεγγένεται, Galat. v, 6. sit bonæ voluntatis & justæ actionis ge-  
nitrix, ut cum Ambrosio loquitur August. Conf. artic.  
xx. fluit hinc prono alveo, novam obœdientiam, sive  
benè vivendi propositum, à pœnitentia omnino exclu-  
dendum non esse, quanquam ejus essentiam non ingre-  
diatur, sed tantum eam consequatur. Hoc certè ipsum  
est, quod Johannes nos jubet, facere fructus dignos pœni-  
tentia, Luc. III, 8.

B

XII. Si

XII. Si quæras fortassis, quomodo fides justificans producat fructus, bona opeta, audi Calixtum nostrum, πολλῶν ἀνεξιού ἀλλων, Epitome de bonis operibus eleganter ita colligentem : *Qui in aliquo spem & fiduciam obtinendi summi boni collocat, is eum non potest non diligere. Sed credens, in Deo & Christo spem & fiduciam obtinendi summi boni collocat. Ergo credens in Deum & Christum, non potest non diligere. Porro, qui aliquem diligit, is cavit ne eum offendat, aut faciat, quæ novit nolle cum fieri. Sed credens Deum diligit, Ergo credens cavit, ne Deum offendat.*

XIII. Quando igitur peccator dicto modo sua agnoscit delicta, dolet de iis, ac promissionibus divinis animum erigit, cum proposito imposterum fugiendi peccata, tunc remissionem & absolutionem illorum consequitur, quam Deus ad se conversis annunciandi, verbi sui præconibus amplissimam in sacra Scripturâ potestatem fecit. Sic enim Christus ipse Joh. xx, 23. Apostolos suos adlocutus : *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. Non est sensus, quod remissio peccatorum pendeat ab Absolutione ministri, nec unquam remissionem peccatorum pœnitenti apud Deum sperare detur, quam si prius absolverit eum minister. Nec est sensus, quod, si sacerdoti animus seriè agendi & vere absolvendi desit, pœnitens non debeat putare, se propter suam solam fidem verè coram Deo absolutum esse, ut Tridentini Sess.xiv.de pœnitentia, cap. vi. decreverunt. Sed hoc volunt verba Servatoris : Quorumcunque (pœnitentium & credentum) peccata, ministri declaraturi sint in terra pro solutis, eorum peccatorum remissionem, sicut in cœlo jam factasit, ita porrò ratam in supre-*

mâ

mà illâ curiâ fore, & continuatum ibi iri. Adscribimus antiquam absolvendi formulam, quā dignam censemus, quæ hic legatur: *Misereatur tui Deus, dimitat tibi omnia peccata tua, custodiat te ab omni malo, conservet te in omni bono, perducat te in vitam æternam. Indulgentiam & remissionem peccatorum tribuat tibi pius Pater & misericors Dominus. Dominus noster Iesus Christus per suam magnam misericordiam dignetur te absolvere, & ego autoritate iphus, quâ fungor, absolvō te à vinculo excommunicationis minoris, si ligaris, & absolvō te à peccatis tuis in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, Amen.*

XIV. Ex his, quæ hactenus à nobis tradita sunt, manifestum est, quid de pœnitentia sit statuendum, quantum & quasnam orthodoxi faciant pœnitentiæ essentiales partes. Pontificij partes materiales pœnitentiæ exterioris quam vocant, tres faciunt, contritionem cordis, ut per signa manifestatur, Confessionem oris, & satisfactionem operis. Loquuntur autem, ut dixi, de pœnitentia exterior, quæ sit objectum absolutionis sacerdotalis. De his ergo partibus pœnitentiæ quid sentendum sit, ordine nunc erit dispiciendum.

XV. Ante vero, quām id fiat, sciendum est, trinam illam partium pœnitentiæ enumerationem, ansam & originem cepisse ex publicæ pœnitentiæ ritibus. Hæc namque ritibus illis postea partim abrogatis, partim mutatis, indectè ad generalem pœnitentiæ doctrinam accommodata est. Accessit & illud, quod pij veteres in multis sententiis loquuntur de pœnitentia non quatenus quærerit & accipit remissionem peccatorum, sed quatenus est vitæ mutatio & emendatio. Unde Augustinus & Chrysostomus solent ita loqui: sicut tres sunt peccatorum differentiæ, & tribus modis Deum offendimus, corde scilicet, ore & opere:

ita veram emendationem per contrarium instituendam esse, in animo, in verbo & opere. Hæc non attendentes Monachi, fecerunt inde tres pœnitentiæ partes, quibus ac uitatur remissio peccatorum, & quidem exclusâ fide, quæ ex Evangelio concepta, credat per Christum peccata remitti. Et ubi Chrysostomus ponit operis humilitatem, Augustinus operis sanctificationem, substituerunt postea operis satisfactionem. Et tamen anathema sit, oportet, nisi quis omnia illa, undecunque orta, tanquam oracula Spiritus S. adoret; uti conqueritur B. Chemnitius in Exam. Concil. Trid. Part. II. Sess. IV. ad Can. IV. in fine.

XVI. De contritione notatudigna sunt verba Bellarmini libro I. de Pœnit. cap. XVII. Col. 1036. *Dicet fortasse aliquis, sœpè accidere, ut contritio non alio signo, quam ipsâ peccatorum confessione prodatur: proinde tunc non distingui contritionem, quatenus est pars sacramenti sensibilis, à confessione: ac per hoc duas tantum sacramenti partes esse, confessionem & satisfactionem, non autem tres.* Respondeo, fieri quidem posse, ut iisdem verbis contritio detegatur, & confessio explicetur, veruntamen illis verbis duo sensibilia signa contineri, & planè aliud esse contritionem verbo expressam, aliud Confessionem verbo explicatam. Nam si quis fateatur, se furtum, adulterium, homicidium & alia id genus multa commisisse, sed jactando & gloriando, vel simpliciter colloquendo illa narret, ille quidem confitebitur peccata, sed contritionem non prodet. Quare aliud est, peccata confiteri, ut alter intelligat, quot & qualia illa sint, aliud, cum dolore & detestatione confiteri, ut non solum peccatorum numerus, sed etiam peccatoris contritio illâ confessione aperiatur. Contritionem isthac modo expressam, in pœnitentia, quæ ad absolutionem sacerdotalem ordinatur, nos libenter admittemus.

XVII. De Confessione autem, sacerdoti faciendâ, non

non toleranda sunt, quæ Pontificij hodiè docent, præser-  
tim ex quo ea sub anathemate credenda obtruserunt. Eam  
primò volunt omnibus post Baptismum lapsis jure divino ne-  
cessariam existere, Concil. Trident. Sess. xiv. cap. v. Deinde  
exigunt, oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum  
post diligentem sui discussionem, conscientiam habent, in Confes-  
sione recenseri, vel enumerari: præterea etiam eas circumstan-  
tias peccatorum in Confessione explicandas esse, quæ speciem pec-  
cati mutent — peccata tamen, quæ diligenter cogitanti, & consci-  
entiæ suæ finis omnes & latebras exploranti non occurant, in uni-  
versum eâdem confessione inclusa intelligi. Sess. & cap. cit. Hic  
primò falsissimum est, Confessionem sacerdoti dicto mo-  
do faciendam, jure divino lapsis post baptismum cum Deo  
reconciliandis, esse necessariam. Nunquam id evictum  
dabunt Pontificij. Caussantur quidem Tridentini hoc i-  
pso capite, sacerdotes à Christo constitutos esse judices, ad  
quos omnia mortalia crima deferantur, in quæ Christi fideles  
cederint, quo pro potestate clavium remissionis aut retentionis  
peccatorum sententiam pronuncient — sacerdotes autem hoc ju-  
dicium, incognitâ causâ exercere non potuisse — si non in specie  
sigillatim sua iphi peccata declarassent. Sed falsum est, sacer-  
dotes hic constitutos esse judices. Tantum ministerium  
reconciliationis ipsis concreditum esse docet Paulus II Cor.  
v, 18. idque secundum normam semel à supremo judice  
Deo præscriptam, ut non nisi pœnitentibus & creditibus  
remissionem peccatorum annuncient, impœnitentibus  
eadem retenta esse declarent. Peccata enim non dimit-  
tur secundum arbitrium hominum, sed secundum arbitrium Dei,  
dicit rectè Augustinus libro III. Contra Donatistas cap.  
xix. Plura de hoc arguento Pontificiorum, propo-  
nit Excellentiss. Dn. Præses in prælectionibus publicis con-  
tra Pontificios.

XIIX. Urgent deinde Tridentini similitudinem  
Hieronymi : *Si erubescat ægrotus vulnus medico detegere,  
quod ignorat, medicina non curat.* Sed quis nescit, argumen-  
ta à simili, esse summè fragilia ? Medico singula corporis  
vulnera sunt detegenda, quia singula diversam medendi  
rationem solent requirere. At peccata, quæcunque sint,  
UNO omnia remedio curantur, merito Christi, fide à cor-  
de contrito applicato. Si igitur peccator in genere mor-  
bum suum tantùm fateatur sacerdoti, cum deploret, &  
remedium è pharmacotheca Spiritus S. exposcat, statim  
sacerdoti est in promptu catholicum illud remedium jam-  
jam indicatum, & modo, quo itidem dictum est, petenti  
applicandum. Alij Papistæ afferunt verba **Auctor. xix, 8,**  
*Multi credentium veniebant, confitentes & annunciantes actus  
suos*, ut vertit Vulgatus. Non repetam h̄ic, quæ Excel-  
lentiss. Dn. Præses alibi in disputatione de Pœnit. §. xv. de  
hoc loco produxit. Placet nunc adscribere, quæ Georg.  
Mylius Commentar. in Aug. Conf. artic. abus. de Con-  
fessione de his ipsis Lucæ verbis prescripta reliquit: *To-  
ti hujus loci depravationi Lutherus remedium affert versione  
illustri & scholio suo, referens Confessionem & annunciationem  
istam factorum, ad commemorationem successus felicis in prædi-  
catione Evangelij, (Es kamen viel deren / die gleubig wahren  
worden / vnd bekandten vnd verkündigten / was sie außgerich-  
tet hatten / scilicet, mit predigen / lehren / und andern Früch-  
ten des Evangelij.) Cui verioni patrocinari omnino videntur  
duo. I. Vox ἀναγγέλλειν, quod lætam nunciationem significat,  
quæ peccatorum Confessioni, quippe rei tristi, parum sanè con-  
venit. II. Vocabulum περιγέγραψαι, quod res gestas notat; quo loco  
haud dubie vocabulum peccatorum positurus fuisset Evangelista,  
si de peccatorum Confessione sermonem sibi esse voluisset. Ut non  
sit,*

fit, cur versionem istam flagellare Iesuita possit. Sed esto, ver-  
sio, ista aliquibus non complacet, ulterius rapi locus iste non po-  
test, quād ad describendam aliquorum seriam & efficacem con-  
versionem. Nam cūm potestate miraculosa in immundos Spiri-  
tus Apostolus ita inclaruisset, ut gloria Nominis Christi magna  
fieret accessio, & ostento obseSSI hominis, magnā territatione ani-  
mi hominum Ephesorum percellerentur; refert Evangelista, quis  
hujus territationis effectus fuerit, nempe, ut alij fide prædicatio-  
ni Apostolicæ habita, & metu divini judicij perterriti, errata  
sua professi sint publicè, ac detestati: alij etiam libros supersti-  
tiosos exusserint. Non abludit ab hæc interpretatione Benedi-  
ctus Arias, qui sic locum istum explicat: Multos ex ijs, qui cre-  
diderant, testatos fuisse, mutationem in ipsis esse factam virtute  
Christi, atque in eo testimonio confessos esse, quales antea fuissent,  
quales nunc redditи essent per Iesu Christi efficientiam.

XIX. De satisfactione benè ait Apologia Aug.  
Conf. De Conf. & satisfact. §. Et ex illo &c. ē ritu publicæ  
pœnitentia reliquum habere nos nomen satisfactionis. Erat e-  
nīm satisfacere, scriptoribus tām secularibus quam sacris  
idem ac, deprecari. Item porrò; Scholastici viderunt in Ec-  
clesia esse satisfactiones. Nec animadverterunt illa spectacula in-  
stituta esse, tum exempli causa, tum ad probandos hos, qui pe-  
tebant recipi ab Ecclesia — ideo superstitionē finixerunt, eas non  
ad disciplinam corām Ecclesia, sed ad placandum Deum valere  
— Atqui Glossa in Canonibus aliquoties testatur, has observatio-  
nes institutas esse propter disciplinam Ecclesiæ. A pol. A. C. loc.  
cit. §. Sed tamen fatentur &c. Et tamen orta hinc plane  
vox est, quæ in Papatu, in suggestis, cum prælegeretur vulgo pu-  
blica absolutio, usurpata fuit: Prolonga Deus vitam meam, do-  
nec pro meis peccatis satifecero, & vitam meam emendavero.  
Artic. Smalcald. part. III. artic. III, de falsa pœnitentia

Ponti-

Pontificiorum. Ubi si per satisfactionem intellectam voluerunt humilem deprecationem, Deo pro peccatis faciendam , non improbamus illam sive vocem , sive votum. Si autem per satisfactionem intellectam voluerunt actionem , quâ is , qui alterum læsit , tantum facit , quantum satis est ad injuriam compensandam , sive , quantum is , qui læsus est , justè exigit, ut Bellarminus libr. iv. de Pœnit. cap. i. satisfactionem describit , dicimus talem satisfactionem impiam , & in unicam satisfactionem Christi esse injuriosam. Christus enim una oblatione in perpetuum consummavit eos , qui sanctificantur. Hebr. x , 14. Satisfactiones quoque Veterum, præcedebant absolutionem , at hodiè apud Pontificios, inverso eorum ordine æquè ac naturâ, absolutionem sequuntur.

XX. Falsum quoque est, quod remissâ pœnitentibus à Deo culpâ & pœnâ æternâ , reservetur ab ipso infligenda pœna temporalis propriè dicta, ab animo vindicâdi cupido exspectanda. Exercet quidem Deus reconciliatos aliquando satis gravibus calamitatibus, sed *bono ipsorum* Hebr. XII, 10 Quos amat, castigat. Apocal. III, 19. Et tales afflictiones aliquando mitigat & tollit permotus fideli deprecatione, non, satisfactoriâ aliqua nostra illarum, cœu pœnarum residuarum, compensatione. Multo minus Indulgentiis Papalibus, satisfactiones possunt redimi. Quod ad temporalium pœnarum mitigationem attinet, vellemus nobis monstrarent Patres Tridentini vel nnum hominem , qui per Indulgencias Pontificias à levi febricula fuerit liberatus ; dicimus cum Lucâ Osiandro Centur. XVI. Histor. Ecclesiast. Notis ad Decretum Concil. Trident. de Indulgentiis.

F I N I S.

99 A 7000



12-47

Retro ✓



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt


urn:nbn:de:gbv:3:1-559228-p0020-2

DFG

**Farbkarte #13**

B.I.G.



DISPUTATIO THEOLOGICA  
DE  
**POENITENTIA**  
ET ABSOLUTIONE  
SACERDOTALI  
*Q V A M*  
**D. O. M. A.**  
PRÆSIDE  
**GERHARDO TITIO**  
SS. THEOL. D. ET PROF.  
ORDINARIO  
*IN ILLVSTRI ACAD. JULIA*  
Ad diem Novembr.  
*Publico examini exponit*  
**JOHANNES Koch AULICENSIS**  
AUTOR.  
  
*HELMESTADII,*  
*Typis HENNINGI MULLERI,*  
*Anno CIC ID C LXIII.*